



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

De multiplici in Ecclesia cultu Deipara sancito, n. 34

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

DE MULTIPLICI IN ECCLESIA

cultu Deiparae sancito.

3^a **T**ertium caput, quo Ecclesia suam erga Deiparam observantiam declarat, Multiplex est cultus, quem praeter dies festos, ac templa ei dicata in ejusdem venerationem, si ve decrevit, siue te ipsa exhibet, Et hic quidem ad tria ferè revocari potest; ea verò sunt. Primum Praeces, quæ ei persolvuntur, & id genus alia, quibus ejus laudes celebrantur, vel ejus praesidium singulari quadam ratione imploratur. Tum ejusdem imagines, quæ innumerabilibus in locis quæ publicis, quæ privatis maxima cum pietate coluntur, & celebrantur; Denique Capillorum ipsius, Vestium, atque ejuscemodi rerum reliquiarum, quæ plerisque in locis honorificè, ac religiosè asservantur.

PRECES, QUIBUS ECCLESIA

Deiparam invocat.

Ad primum caput de precibus, aliisque, quæ in Deiparæ honorem recitantur, vel sunt multa spectant, ea verò duodecim ferè sunt.

OFFICIUM DEIPARÆ

Parvum.

Primo, officium B. Virginis, quod vocant Parvum, ad discrimen officij Dominici, quod recitare tenentur ij, qui sacris ordinibus initiati sunt, & vulgò dicitur Magnum, propterea quod pluribus Psalmis, ac Precibus constat. Hujusmodi verò Virginis officium studio Petri Damiani doctissimi juxta, ac sanctissimi viri (ut ex Hieronymo Rubeo in ejus vita admonemur mirificè propagatum est: postea anno nostræ salutis 1094. decreto Urbani 11. in Concilio Claremontano) ut testatur Vincens. Vincentius Belvacensis in specul. histor. lib. 25. cap. 112. S. Antoninus 2. par. histor. titu. S. Antoni. 16. cap. 1. §. 23. & 4. part. sum. titu. 15. cap. Genebrar. 24. §. 3. & Genebrardus lib. 4. (chronol.) omnibus, qui divinum officium recitare tenentur clericis, indictum est sub præcepto, tamen si, ut notat Navarrus in Manuali de oratione c. 22. nu. 99. à Pio V. in nova Breuiarij Romani editione sublata sit obligatio illud dicendi sub præcepto extra choris, piè tamen hortatur omnes ad illud recitandum, adjecta indulgen-

tiarum largitione. Porò idem Pontifex Pius præcipit recitandum in choro ejus dicendi consuetudinem præscriptis in Breuiario diebus. Quia ex constitutione ejusdem, qui ex beneficio ecclesiastico obtinent pensionem, tenentur ad recitandum saltem officium parvum B. Virginis, quemadmodum observat idem Navarrus de oratione cap. 27. nu. 2. Ceterum hæc pia in laudem Virginis precandi forma, ita uti recepta est, ut laici ferè omnes, qui aliquo pietatis gressu assiciuntur singulis diebus ejus officij recitandi consuetudinem teneant.

OFFICIUM MAJVS SABBATINVM

de Deipara, una cum missa.

Secundo, in officio Dominico Majori singulis sabbatis ex decreto ejusdem Urbani 11. officium, & missæ sacrum, nisi quid obster, sunt de B. Virgine, quod etiam nunc diligenter servatur, id quæ inter alia, quæ in Deiparæ honorem præstantur, recenset S. Antoninus 4. part. titu. 15. cap. 24. §. his verbis: Præter officium parvum beatae Virginis, quod est in principio singulis diebus quo ad obligatos, addit quoque Ecclesia omnibus sabbatis cum vacat eam in missis, vel officio solo honorari solemniter, & cum sequentijs: Et sicut honoratur Dominus filius in dominicali officio ob suam resurrectionem, ita & ipsa honoratur Domina mater in sabbato, quia illa die, scilicet sabbati, mortuo filio, & fide extincta, de ejus divinitate in omnibus discipulis, & alijs, sola vera cognitio sua divinitatis in ea requiescit die illa, nam sequenti die recuperaverunt plures. hæc sanctus Antoninus, quod qua ratione sit intelligendam, fusè supra exposuimus, cum ageremus, quare sabbatum Deiparæ dicatum fuerit.

FRÆQVENS DEIPARÆ MEMORIA

in Officio Majori.

Tertio, in Officio item Majori in Laudibus, ac Vesperis cum Sanctorum commemorationibus præscribuntur, omnium prima post commemorationem de Cruce, est B. Virginis commemoratio.

Ad hæc ad singulas horas cum oratione Dominica præmittitur Angelica salutatio, ad officij denique finem Antiphona ad Deiparam *Salve Regina*, vel alia temporè accommodata subnectitur.

CRE-